



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCXXI. Herzog Johann von Sachsen, Herzog Bugezlaw von Pommern, Fürst
Wizlaw von Rügen, imgleichen die Herrn von Werle, von Mecklenburg und
Rostock, die Grafen von Schwerin und von Dannenberg und die ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

uitates gwerris inuadetur per omnia sicut hostis, et tandem, eo conuicto, ipse soluet omnes expensas in talibus erogatas. Eodem modo erit de ciuitatibus et uasallis, si rebelles fuerint et si non tenuerint omnia, quemadmodum in presenti pagina sunt expressa. Item omnes ciuitates in hac confederacione comprehense perfruentur tam in theloneis quam vngeldis, quam in omnibus aliis Juribus, libertatibus et graciis, priuilegiis ac aliis ostensionibus, quas demonstrare poterint se habere et hactenus habuisse, que singula debent cuilibet ciuitati secundum quod demonstrauerit innouari. Et specialiter libertates et gracie et omnia Jura, que lubicensibus sunt concessa in omnibus terris et terminis, que fuerant sublimium dominorum Barnim et Warcillai, Ducum Slauorum, debent ipsis lubicensibus innouari et de nouo priuilegiis conferri ciuitatibus in confederacionibus huiusmodi comprehensis. (Preterea domini, uasalli et ciuitates ac omnes in hac confederacione comprehensi non aggredientur aliquam gwerram ratione grauaminis cuiuscunque, nisi de communi consilio eorum, qui pertinent ad confederacionem presentem.) De rectore seu Iudice et Juratis assessoribus eius quolibet anno innouandis. De domino, uasallo vel ciuitatense Jurato decedente et alio, loco sui, Jurare uolenti. De pandatione facienda super aduersarios.

Aus der Lübecksch. Urk.-Samml. I, No. CDXLV. — Das Original ist ein Entwurf mit vielen Co-recturen und Einschleifeln. Die in dem gegenwärtigen Abdrucke eingeklammerten Worte sind im Original durchstrichen. Die Verbindungsurkunde, welche aus diesem Entwürfe hervorgegangen, ist die folgende.

CCXXI. Herzog Johann von Sachsen, Herzog Bugezlaw von Pommern, Fürst Wizlaw von Rügen, imgleichen die Herrn von Werle, von Mecklenburg und Rostock, die Grafen von Schwerin und von Dannenberg, und die Städte Lübeck, Wismar, Rostock, Stralsund, Greifswald, Stettin, Demmin und Anklam schließen ein Schutz- und Trutzbündniß, namentlich gegen die Markgrafen von Brandenburg, am 14. Juni 1283.

In nomine domini, amen. Johannes, dei gracia dux saxonie, Bugezlaus, dei gracia dux slauorum, Wizlaus, dei gracia princeps Ruianorum, Henricus et Johannes, dei gracia domini de Werle, Helmoldus et Nicolaus, dei gracia Comites szwerinenses, Bernardus, dei gracia Comes de Dannenberg, Johannes, Henricus et Johannes, dei gracia Domini Magnopolenses, Johannes, Nicolaus et Borwinus, dei gracia Domicelli de Rozstock, vniuersique fideles et uasalli intra terras et terminos dictorum dominorum constituti, Consules et Vniuersitas Ciuitatum lubeke, Wismarie, Rozstok, Straleffund, Gripeswald, Stetin, Demin et Tanclim, Necnon omnes ciuitates earundem terrarum, vniuersis christi fidelibus presens scriptum uisuris uel audituris salutem in eo, qui est salus omnium. Quantum sit emolumentum pacis et hominibus et terris, in quibus pax uigere dinoscitur, et quod ex aduerso detrimentum sit eis, intus quos hominum pestilencium et peruersorum malignitas nullo pacis aut iusticie timore refrenatur, omnium prudentia non ignorat. Et si princeps ac terrarum domini suscipiunt pacem populo, tunc in fidelibus uasallis, ciuitatibus atque subditis ualebit iusticia reperiri. Nisi enim iusticia et pax se mutuis recipiant osculis, necesse est, secundum prophetam, ut et longe stet iusticia,

et veritas corruet in plateis. Cum igitur pax bonusque status nobis cordi sint sicut debent, Notum esse volumus tam posteris quam presentibus, quod nos fide data iuramentisque prestitis confederati sumus ita, quod quilibet alij debet assistere in omnibus iustis causis. Vnde si cuiquam de premissis principibus, Dominis uel eorum vasallis aut ciuitatibus uel ciuitatum incolis, siue eciam quibuscunque Rurenibus, uel villanis, terras istorum principum et dominorum, uel eciam bona vasallorum inhabitantibus, quicquam iniurie uel indebiti grauaminis illatum fuerit, super talis grauaminis iniuria omnes, ad hanc confederacionem pertinentes, petitionibus et procuracionibus, quibus potuerint, ordinare studebunt, quod talis iniuria retractetur. Si uero tali via infra mensem finis debitus non fuerit consecutus, et si grauamine iniurie contra iusticiam illate sunt dominis aut vasallis, Tunc dicte ciuitates coniunctim cum ducentis dextrariis, eciam in hoc presenti bello et gwerra, seruient dominis et vasallis, suis propriis sub expensis, de quibus ipse ciuitates Quinquaginta dextrarios iam quitauerunt cum domino Johanne, duce saxonie, ex eo, quod mille marce lubicensium denariorum sibi ac (a?) ciuitatibus sunt collate: que mille marce, si ciuitatibus restitute fuerint, tunc ipse seruient iterum dextrariis cum ducentis. Si uero ciuitatibus et earum inhabitatoribus iniuriam grauaminis inferri contigerit, super tali grauamine modis prehabitis omnes, ad istam confederacionem pertinentes, petitionibus et promocionibus alijs infra mensem facient quidquid potuerint, quod illud in statum debitum reducatur; et si talis iniuria via huiusmodi retractari non valebit, principes, domini et vasalli iam dicti sub suis expensis propriis Ciuitates iuuabunt et earum incolas cum quadringentis dextrariis preter dominum johannem, duce saxonie, et Helmoldum et Nicolaum, comites de zwerin, Necnon Dominum Johannem Magnopolensem, atque Dominum bernardum, comitem de Dannenberg, qui Dominos ceteros et Ciuitates pro suo posse iuuabunt, et alijs principibus et dominis se nulla ratione adiungent, Nec in ciuitates eorum et municiones quempiam in dampnum Dominorum et Ciuitatum sub confederacione predicta concluderunt intromittent, nec ipsas debent cuiquam aperire. Ceterum si predictis principibus, Dominis et vasallis atque ciuitatibus visum fuerit expedire, quod ad aquas nauigio de premissis quicquam contractari debeat, tunc pro quolibet centenario dextrariorum principes et domini vna cum ciuitatibus cum ducentis armatis uiris, bene expeditis, nauigio seruient, quantum possunt. Preterea si dicti principes et Domini cum ciuitatibus equites bellum siue gwerram aggressi fuerint, tunc Rurenenses et villani, terras dictorum principum et dominorum inhabitantes, de quibuslibet sex mansis cum vno equo seruient et vno viro armis sibi decentibus expedito. Item si prefati domini(cum) Ciuitatibus inimicorum terras intrauerint, et ibi per exactiones, que vordinghe dicuntur, pecuniam aliquam uel bona acquisierint uel eciam per captiuos, tam intra terras, quam extra terminos suos eorundem dominorum ab ipsis bona conquiri contigerit, vbicumque locorum uel qualitercumque conquesta fuerint, hec, sicuti captiui, secundum numerum armatorum in hoc pro vtraque parte existencium, equaliter diuidentur. Si uero de ciuitatibus captiuari contigerit, et Domini captiuos aliquos superflites habuerint super eos, cum quibus suos homines, si qui de suis forsan captiuati fuerint, bene possunt redimere, illos inquam captiuos superflites dabunt in concambium pro eis, qui sunt de ciuitatibus captiuati et e conuerso facient Ciuitates. Si autem dominorum quempiam captiuari

cotigerit, ille se ipsum redimet. Sed si a uasallis et ciuitatibus princeps aliquis siue dominus fuerit captiuatus, ille debet dominis ad vsus eorum tantummodo in subsidium presentari; et si domini municionem aliquam perdidierint, dampnum subportabunt; si autem aliquam ceperint et expugnauerint, profectum habebunt. Sed pro recuperacione municionis predictæ omnes vnanimiter quantumcunque poterunt laborabunt. Item omnes strate dictarum terrarum pacifice debent esse transeuntibus, tali modo, ut, si cuiquam rebus aut corpore fuerit illatum quicquam grauaminis et iniurie, omnes, ad quos clamor siue seruchte taliter pregrauati peruenerit, insequi debent eum uel eos, qui iniuriam intulerunt, ualide toto posse; et qui tales maleficos audito seruchte non insecuntur, et eos post hec de hoc inculari contigerit, quod, sicut tenebantur, secuti non fuerint, ac se super eo, quod clamor ad ipsos non peruenerit, excusare uoluerint; si miles est, armiger siue famulus, quinque pociores et meliores de tota perantela (sic) sua et amicis assumet, et sic ipse sextus existens se ab obiectis huius(modi) expurgabit; villanus uero, siue rurensis ipse decimus, nouem melioribus siue condicionis et fide dignioribus coassumptis. Quicumque uero, sicut prehabitu est, se expurgare recusauerint, illi soluent et emendabunt quidquid passo uel passis iniuriam est illatum. Eodem modo fiet ad aquas, eadem pace, securitate et insecutione, sicut est ad terras superius ordinatum. Ceterum si predonem aliquem, incendiarium, homicidam uel latronem, siue maleficum talem deprehendi contigerit, ita quod crimen publicum sit et notorium, neque Dominus, neque uasallus, neque aduocatus, neque Ciuitates, neque iudices, qualescumque fuerint, pecuniam ulla siue donum accipient; sed idem pene et sentencie iuris, quam meruit, modis omnibus subiacebit. Item nullus omnino, qualiscunque sit, maleficum quemquam manutenebit uel fouebit. Sed si forsan esset aliquis, qui maleficum aliquem fouere uel manuteneere presumeret, cuiuscunque condicionis hic extiterit, pro hoste per omnia, sicut maleficus, est tenendus; uerum si maleficus quisquam euaserit, ille per omnes terras supra dictorum dominorum et ciuitates quaslibet habebitur pro proscripto. Si autem quisquam prelibatorum principum, dominorum, uasallorum uel Ciuitatum premissa uolauerit, aut, ut est prehabitu, cooperari noluerit, illum monebunt sui proprii uasalli et ciuitates cum ceteris dominis, uasallis et Ciuitatibus, quod memor siue fidei et iuramenti infra mensem faciat in hijs omnibus, que promisit; et si tam pertinax fuerit, quod in hijs facere noluerit, quod tenetur, ille pro hoste tenebitur, et ipse per predictos omnes et per eius proprios uasallos et Ciuitates gwerris invadetur per omnia sicut hostis, et tandem eo conuicto ipse soluet omnes expensas in talibus erogatas. Eodem modo erit de Ciuitatibus et uasallis, si rebelles fuerint et non tenuerint omnia, quemadmodum in presenti pagina sunt expressa. Preterea si uasallos inter se discordare contigerit, Rectores, iudices et iurati, qui pro tempore statuentur, sibi causam illorum assument, et ipsam diligentius discucientes iniustam partem compescent, iustam uero in omnibus tuebuntur. Insuper nullus omnino hostes in cibariis, nec in uino nec in alio, confortabit. Sed si forsan quisquam esset, qui hostes in cibariis uel in aliquibus alijs confortare presumeret, qualiscunque talis esset, pro hoste deberet per omnia reputari. Item uniuersi supradicti principes et domini consensum ad hoc adhibuerunt plenarium, quod Ciuitates eorum, tam magne quam parue, Ciuitatibus ceteris in omnibus secundum quam possibilitatem assistant. Item omnes Ciuitates in hac con-

federacione comprehense perfruentur tam in thelonijs, pedagijs et exactionibus, dictis vngelt, quam in omnibus alijs iuribus, libertatibus et gracijs, quas priuilegijs uel alijs ostensionibus demonstrare potuerint se habere et hactenus habuisse: que singula debent cuilibet Ciuitati, secundum quod demonstraerint, innouari. Sed specialiter libertates et gracie et omnia iura, que lubicenses habuerunt in omnibus terris et terminis, que fuerant sublimium dominorum Barnim et Warzlai, ducum flauorum, debent ipsis lubicensibus innouari et per auctentica priuilegia de nouo conferri Ciuitatibus uniuersis, in confederacionibus huiusmodi comprehensis; similiter et uasallis debent omnia iura, libertates et gracie, quas a primis et antiquis unquam habuerunt temporibus, inuiolabiliter obseruari. Ceterum sepedicti principes et domini cum marchionibus vel hostibus suis alijs compositionem prorsus nullam inibunt, nisi sit cum uoluntate Ciuitatum communium et consensu. Omnia uero placita memorata et statuta atque pax per decem annorum durabunt circulum, et si ex tunc uasallis et Ciuitatibus utile et expediens uisum fuerit, ut perdurent diucius, per quantum temporis ipsis placuerit perdurabunt ulterius, quod tamen nequaquam in dominis, sed in uasallis et Ciuitatibus tantum stabunt. Si autem quemquam dominorum ante dictorum medio tempore ab hoc seculo emigrare contigerit, et si filij sui seu heredes prelibata seruare rennuerint, uasalli, fideles et ciuitates ipsis homagium siue uasallagium nequaquam facient, nec ipsos debent habere pro dominis, nisi prius seruent omnia, que sunt superius memorata. Si uero uasallus quisquam mortuus fuerit, filij sui seu heredes idem, quod pater promisit, facient, alioquin principes et domini bona sua feodalia nequaquam porrigere sibi debent. Ad omnia antedicta statuenda et ordinanda nec non errata corrigenda tam de uasallis, quam discretioribus Ciuitatum, singulorum dominorum et terrarum Rectores, iudices et iurati singulis suis (annis?) debent eligi, qui quater in anno quolibet, uidelicet in octaua pasche, in octaua beati Johannis baptiste, in octaua beati Michaelis et in circumfisione domini, secundum quod apud se decreuerint, debent ad statuendum, ordinandum et corrigendum singula conuenire; et quicquid ab ipsis extricari et enodari nequiuerit, ad euocandum et iudicandum ad dominum Johannem ducem Saxonie deferetur, qui ab uniuersis dominis et uasallis et Ciuitatibus super hijs omnibus iudex et capitaneus est electus; et si per aliquam absenciam, extra terras forsan existens, presens esse non poterit, cum consilio et uoluntate prehabitorum dominorum uasallorum et Ciuitatum iudicem debet ponere loco sui. Super hec omnia, si qui uasalli essent uel Ciuitates intra sepe dictorum dominorum terras et terminos, qui se ab huiusmodi pactis et confederacionibus uellent abstragere, illi iuribus, libertatibus et gracijs prehabitis minime perfruentur. Quod autem tam racionabile fecimus et salubre, immutari non ualeat uel infringi, Prelibati principes et domini, uidelicet Johannes dux saxonie, Bugerzlaus dux flauorum, Wizlaus princeps Ruianorum, henricus et Johannes domini de werle, helmoldus et Nicolaus comites zwerinenses, Johannes hinricus et Johannes domini Magnopolenses, Bernardus comes de dannenberg, Johannes, Nicolaus et borwinus domicelli de Rozstock, fide, pactis et iuramentis prestatis, compromittentes conjurauerunt una cum uasallis et Ciuitatibus uniuersis intra suas terras et terminos suos constitutis, nec non ciuitate lubicensi; ita quod quilibet alij in omnibus superius fideliter expressis debet assistere et insuper in cunctis alijs

iustis causis. Sunt autem hij milites et vassalli, qui una cum dictis principibus, dominis et vassallis in manus Ciuitatum, et e converso Civitates in manus eorum fide data et iuramentis prestitis promiserunt: Cum domino Johanne duce saxonie sponderunt et iurauerunt hij: Volemarus et volemarus filius ejus, Daud de Carlowe, Ditleuus de parkentin, Eineke Hake, Heyno Schacke de lunenborch, Hartwicus de Retzekow, Johannes de balch, Borchardus de gezow, milites, Johannes de Crumesse famulus; cum domino Wizlao principe Ruianorum: Matheus et Euerardus fratres dicti molteken, Nicolaus de Diuiz, henricus pape, Wernerus de tribeses, milites; Cum comitibus de zwerin: ludolfus molfan et fredericus filius suus, ludolfus hafenkop, Johannes de dambeke, Ericus anthonius, voz de Retberg, Gherrardus eczen, Stochuifch, milites; cum domino Bernardo comite de dannenberg; Egghardus ribo, Bertoldus de storteleboele, milites; Cum domino Johanne Magnopolensi; fredrikus smekere, Eggehardus de gutow, Hinricus de bulow, milites, Nicolaus de bulow famulus; Cum Henrico et Johanne dominis de Werle: Godeko luch, volradus dargez, Johannes Koz, Nicolaus gallus, H. de Vlotow, Tidericus de buren, Jordanus et Gherrardus fratres de Cropelin, Johannes cabolt, Johannes et bernardus fratres de belin, Sifridus de Kuthdorp, Radolfus de hunwardestorp, Grub. duding, volzeke tuneke, Mathias galerus, Hermannus de langheborde, Heydenricus de Lu, Bernardus de lesten, Johannes de goldenbog, Jo. de duclen, Johannes de lipe, Hen. storm, milites; Cum H. et Jo. domicellis Magnopolensibus: Bertoldus pren, Otto de Reuentlo, Hinricus de barnekow, ludolfus de traenemunde, Benedictus de Rodenbeke, Hennigus de stralendorp, Marquardus de le, Gherrardus et Hartwicus fratres dicti metzike, Hennigus dictus de Cremon, Johannes de fernin, Otto wackerbart, Goddescalus pren, Tedwicus de orden, Godeko dotenberch, milites; Cum Jo. et N. et Borvino domicellis de Rozftok: Gerardus de Rozftok, Johannes babbe, Reddagus, Jo. Fredericus et Conradus fratres, dicti Molteke, Gofcalcus polene, Henricus lupus, Georgius molteke, Gerardus de oldendorp, Henricus de tune, Godeke de tribow, Henricus kat, Lambertus de manegoldefhaghen, volradus smeker, Bordeko et Tidericus de kalant, Bertoldus de jork, Wernerus de axekow, Bertoldus latekop, fredericus keredorp, Wernerus gezevitz, Marquardus de Dragun, milites, et alij quam plurimi milites et armigeri fidedigni. Ad euidenciam autem pleniorum prehabitorum et firmitudinem ferociorem omnium memoratorum principum et dominorum atque ciuitatum sigilla anexa sunt presenti cartule ad cautelam. Actum et datum in ciuitate Rozftok, Anno domini M^oCC^oLXXXIII^o, Dominica proxima ante festum beati Viti.

Aus derselben Sammlung Nr. CDXLVI

CCXXII. Kaiser Rudolph I. bestätigt die Oesterreichischen Privilegien unter Zustimmung des Markgrafen Otto von Brandenburg und anderer Churfürsten, am 11 Juni 1283.

Nos Rudolphus, dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus. Venientes ad nos ingenui Principes, dilecti nostri filii, Albertus et Rudolphus Duces Auftrie et